52



QVÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 26. Januarij.

M. ANDREA ENGUEHARD, Doctore Medico, Præside.

An à sanguinis motu vita?

I.

VIX explicatior est vitæ quàm Animæ cognitio: hæc velut illius principium audit, illa velut hujus præsentia ex sese nunquam otiosa, verùm semper negotiosa tot functionibus vitæ indicibus, quæ ideo vitales omnes, quamvis non omnes appellentur vitales. Aliæ autem tribuuntur Animæ, aliæ Corpori. Neutræ tamen sine mutuo utriusque commercio exercentur tum principes cùm ministræ, neutræ pereunt nisi corporis vitio. Harum omnium integritate Medici sanitatem æstimant: molles verò & voluptarij homines unâ sanitate vitam, cujus quotidiana & obvia passim initur cum adversâ æque ac prospetâ valetudine societas, modò lætior, modò tristior, infelicior, beatiorve pro variâ agendi ratione, ad quam Natura incredibili tot organorum apparatu humanum Corpus instruxit: seu intellectionis sacra obeunda sint, seu sensuum motûsque munera, seu multiplex nutritionis provincia sustinenda. In hâc potissimùm vitalis fundus situs est & ita colitur, ut exinde cæterarum functionum seges efflorescat eo perfusa humore, quo movente vivimus, cessante vivere desinimus.

II.

NON una eſt rerum cauſa, cauſarum tamen ea facilè princeps, quæ in omni Naturæ inſtituto artificis vel inſtrumenti nomine cognoſcitur quaſi rei cujuſque effectrix, ſine ullo interpoſitu interjectuque alieno: Hanc enim operis productio ſtatim ſequitur, non ſecùs ac ſolet aëris illuſtratio Solem, caloris perceptio ignem. Cuicunque igitur vita fuerit aut lux, aut flamma: is verò ſi illud noverit à quo utriuſvis aura diffunditur: noverit profectò, & in corpore tenuerit proximum vitæ functionumque authorem Animæ miniſtrum, cujus actio quamlibet corporis partem ad varium munus intendet, tarditas & interceptio remittet: quemadmodum calor agilitatem membris conferre ſuevit, inertiam pigritiamque frigus humanæ vitæ non minùs infenſum, quàm morti familiare & amicum. Quamobrem nemo dubitabit quin humor vitalium operum effector, ſuavi quâdam mobilitate caleat, in omnem corporis regionem delaturus ſuum cuique functioni præſidium. Quod uni ſanguini debebitur, intra tot viſcerum officinas, vaſorum diverticula, & cribra maximè repurgato; ut faciliùs pervadat delicatiſſimam ſingularum partium texturam, & omni ad agendum ſupellectile adornet.

III.

SANGUINEM utiliſſimum vaſorum humorem ſingulis hominis functionibus certiùs deſtinabis, quàm ſuis partibus deſcribes. Alij bilioſo, melancholico, pituitoſoque ſucco, eum olim miſcuerunt & ſeroſo: nunc etiam alij ſalivario, pancreatico, lymphatico, necnon & chylo diluunt aut inquinant: magnâ quidem humorum varietate, & opinionum diſſenſione, ab eo forte componendâ, vel conciliandâ, qui calidam laudabilis ſanguinis portionem à frigidiori, tenuem à craſſiori diſtinxerit non in venis modò arteriiſve, ſed etiam in neruis. Porro vitalem hunc ſuccum, ex aliis per alia vaſa circuire, vetus non eſt: in corpore deinde moveri quoquoverſum, tam vetus eſt, quàm eumdem à jecore, vel à corde, ad ſingulas partes tranſmitti, ac fluere ſeri vehiculo, ſpirituum remigio à tenuiſſimo ſanguine vix diſſidentium, viſcerum impulſu, aut nervulorum niſu tunicas vaſorum ita conſtringentium, ut quamvis omnis voluntarius motus ex nervis pendeat, non tamen omnis per nervos motus, voluntarius eſſe videretur. Quorſum verò tot contentionum procellas, aut metuam aut experiar, qui in vado ſum, tam ſecurus de ſanguinis quam de caloris nativi motu, quo incipiente incipit vitalium exercitatio facultatum, deſinente conquieſcit.

IV.

CALIDUM nativum etiam lippis notiſſimum, velut alterum ab animâ functionum principium, ſeu inſitum à ſemine, ſeu influens à corde, utrumque pariter nonne originem cepit à ſanguine? Qui punctim ſaliens in ovo non patitur, vel ineuntis vitæ triduum ab incubationum curioſis ignorari. Similiter ſuâ tenuitate ſanguis ſementem in utero explicat, contrahit, ducit, diducitque: atque eodem motu partes animat formatue, quo cietur. Nil igitur mirum ſi ad eumdem in homine nato conſervandum tantopere conſpirat humanæ reſpirationis machina, vitæ cuſtos præcipua, quæ iterato diaphragmatis ſuccuſſu promovet è ventriculo in inteſtina, ex inteſtinis ſua in vaſa chylum, ebulliens illud ſanguinis rudimentum. Inde etiam aëris uſu comprimit & pulmonum vaſa & Cerebri ventriculos, ſanguine utrinque expreſſo, è cerebri quidem ductibus in nervos, tum è dextro cordis ſinu ac pulmonum vaſis in ſiniſtrum. Unde alterno motu in arterias prorumpit, ac continuò agitur materia ſingulis Hominis functionibus aptiſſima. Hæc enim ſi roris, cambij glutiniſve modo, petinde eſt, aut ullâ atomorum figurâ ſubit, aut reparat intimos partium quarumdam cuniculos: nutrit, auget, providetque generationi. Si diſtendit contrahitque nervulorum ac muſculorum fibras, movet. Si denique in ſenſuum inſtrumentis excubat rebus externis propoſita, Animam undulatâ commotiunculâ convertit ad intelligendum. Adeoque is idem humor ingenij & vitæ parens, totum corpus univerſâ veluti radiatione complet ac perficit ad publicum quodque & privatum opus.

V.

NEMO igitur de vitâ ineptiùs differet quàm de ſphacelo, qui hunc ex intercepto ſanguinis motu totuplicem conſequetur, quotuplex mortis genus homini impendere poteſt, à caloris nativi inopiâ aut oppreſſione profectum, modò in partem aliquam obſtructione, ligaturâ, vulnere, contritione, frigore, obſtupefacientiumve medicamentorum uſu imperviam ſanguineis rivulis: modò in corpus univerſum, quoties regius ſanguinis fons iniquâ vacuatione exhauritur, vomitu, diarrhæâ, ſudore, hæmorrhagiâ. Quoties præterea ætatis morbive decurſu conſumitur, maligni humoris aut veneni pravitate conglaciat, viſcerum inflammatione areſcit, aut concreſcentis polypi obice omnino ſupprimitur. Nimirum quot ſiſtendi ſanguinis, tot perſpice caloris nativi extinguendi modos & moriendi, non violatâ modò ſed penitus abrogatâ omni functionum lege. Quid? ſi aortam ampliſſimum iſtum decurrentis ſanguinis canalem laqueo intercludis, nonne eodem quo fauces, mortis diſcrimine? Si cerebellum acu tenuiſſimâ ſaucias, aut nervos

præcidis ab eo excurrentes ad viſcera, nonne ſtatim immobilis fiet corporis moletrina ex immoto ſanguineo humore ac ſpiritu quo ducebatur? Qui denique ſi flabello queat intra mortui animalis venas aut pulmonem aliquando excitari: quâ ratione cordi partibuſque motum, hâc eâdem referet brevioris forte nec diſſimilioris vitæ imaginem.

Ergo à ſanguinis motu vita.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Franciſcus Vezou.
M. Claudius Puylon.
M. Claudius Berger.
M. Claudius Biendiſant.
M. Dominicus de Farcy.
M. Henricus Mahieu Chirurgiæ Profeſſor.
M. Franciſcus de la Chambre: Chriſtianiſſimæ Reginæ Medicus primarius.
M. Alanus Lamy.
M. Claudius Quartier Decanus.

Proponebat Pariſiis PHILIPPUS TOURBIER, Peronæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1679.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.